PARMIGIANINA

3

Quousque tandem abutêre, Catilina, patientiâ nostrâ? quamdiu etiam furor
iste tuus nos eludet? quem ad finem sese effrenata jactabit audacia? nihilne te
nocturnum præsidium Palatii, nihil urbis vigiliæ, nihil timor populi, nihil
concursus bonorum omnium, nihil hic munitissimus habendi senatus locus, ni-
hil horum ora vultusque moverunt? Patêre tua consilia non sentis? constrictam
jam omnium horum conscientiâ teneri conjurationem tuam non vides? Quid
proxima, quid superiore nocte egeris, ubi fueris, quos convocaveris, quid con-
silii ceperis, quem nostrûm ignorare arbitraris? O tempora, o mores! Senatus
hæc intelligit, consul videt: hic tamen vivit. Vivit? immo vero etiam in se-
natum venit: fit publici consilii particeps: notat et designat oculis ad cædem
unumquemque nostrûm. Nos autem, viri fortes, satisfacere reipublicæ vide-
mur, si istius furorem ac tela vitemus. Ad mortem te, Catilina, duci, jussu
consulis, jampridem oportebat: in te conferri pestem istam, quam tu in nos
omnes jamdiu machinaris. An vero vir amplissimus, P. Scipio, pontifex maxi-
mus, Tib. Gracchum, mediocriter labefactantem statum reipublicæ, privatus
interfecit: Catilinam vero, orbem terræ cæde atque incendiis vastare cupien-
tem, nos consules perferemus? Nam illa nimis antiqua prætereo, quod Q. Ser-
vilius Ahala Sp. Melium, nobis rebus studentem, manu sua occidit. Fuit,
fuit ista quondam in hac republica virtus, ut viri fortes, acrioribus suppliciis
civem perniciosum, quam acerbissimum hostem coërcerent. Habemus enim se-
natusconsultum in te, Catilina, vehemens et grave: non deest reipublicæ con-
silium, neque auctoritas hujus ordinis: nos, nos, dico aperte, consules, desu-

MARCUS TULLIUS CICERO ARPINATENSIS ORATOR

ATQUE LATINAE ELOQUENTIAE PATER AC FACILE PRINCEPS.

PARIGI